



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Mater ad Magistrum filioli, cùm Puerum tardiùs ad Litterarium Ludum
remitteret.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

nem inter paucos. Tamen non ita pronum est, uti reris, barbato regi imponere. Cæterum si me audies, parces operosius quærere, qui te commendent; neque potiore esse commendationem existimabis, quàm quæ à te ipso profecta sit. Vale. Hæc tuo Davo properanti, & nullam, nec cessasse dicatur, moram admittenti danda fuerunt pauca & inconcinna.

MATER AD MAGISTRUM
FILIOLI,

Cum Puerum Litterarium ad Ludum tardius remitteret.

Commendatitia.

Filiolum nostrum tibi remittimus, Vir colendissime, seriùs fortè quàm par esset; tamen neque Adolescentis negligentiam factum illud est; neque nos ipsi in causâ sumus. Nosti quàm pluvia jam diu utamur tempestate, per quam non fuit integrum vel corruptam imbrum vitio tentare viam, vel puerum objicere periculo valetudinis, quam asperior paulò intemperies aëris, tam tenuis illa est, tam propè nulla, facile incommodet. Veniam igitur dabis, ut spero, pia parentum sollicitudini, si spem domûs unicam & gentis totius columen unum sedulò conservatum velint. Cæterum Filioli nomine ultrò pollicebor, fore, ut amissum tempus diligentiam brevi compenset ac resarciat. Est enim minimè desidiosa pueri indoles, aut fugitans laboris. Imò nihil ipsi tam melli est, quàm dum in accurandum pensum
totus

totus incumbit. Parco dicere plura illius in gratiam, ne fortè videar filio plusculum indulgens mater. At non tacebo tamen, quod unum ipsius in moribus amavi maximè, memorem tuæ in eum benevolentiae ac gratum imprimis animum. O si adesses, quoties amicum sibi, liberalem ac beneficum in primis Magistrum jactitat! Hanc tu porrò benevolentiae partem, quam puero impertiisti hastenus, ut tueri semper ac præstare velis, etiam atque etiam peto. Pervidisti omnino Adolescentis animum, quem benignitate potiùs, quàm acerbitate regendum putaveris. De reliquo familiam totam sic obligasti, ut cupidissimam, tuique in omnè tempus observantissimam sis habiturus. Vale.

LENTULUS FABIO,

Cùm is invitatus ad Cœnam & pollicitus non venisset.

Objurgatoria.

ERgo promittis ad cœnam, & non venis? Tibi jus dicitur: ad assem impendium reddes, neque id modicum. Paratus erat tibi Capo præpinguis ex Cœnomanensi tractu recens adventus: Pullus geminus educatus sedulò & frumento jam diu fartus; adde & Palumbes duos cum Cuniculo, non urbano illo quidem & domestico, sed rustico & sylvestri. Vinum fileo, quale nec bibitur Rhemis, quadrimum illud sanè, quod neque palatum exsurdet, neque vetustate evanuerit. Glaciem, quanquam æstus præterit, servabam tibi homini, si quis alius est acri & præservido;
hanc